



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quæ sit pœna plus petentium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

Qua sit pœna plus petentium?

Olim pœna plus petentium fuerat, ut causâ caderent, nec facillè in integrum restituerentur. §. *Si quis agens in-stit. de dationibus.* Hodierno tamen jure, qui plus re, causâ, vel loco petit, condemnatur in omne damnum, quod suâ petitione debitori intulit, ita ut post sententiam etiam latam, nova possit institui actio. Et quamvis tripli etiam pœnam jura Civilia statuunt, pecuniæ illius, quæ in Iudicem & executores Iudicis numeranda fuerat, de jure tamen Ca-

nonico hujus pœnæ nulla fit mentio, neque ubique hujus tripli habetur ratio. Tempore verd, qui plus petit in pœnam pati debet, ut adversario indicæ duplicentur ad solutionem v.g. faciendam, neque cogatur litem suscipere, nisi prius expensæ illi solvantur. Interim tamen, si quis plus petit ante litis contestationem, vel etiam post, ante latam sententiam à petitione hac desistat, non incurrit pœnas relatas plus petentium, ut constat ex *cir. c. Vnico. h. i.* ubi pœnæ hæ imponuntur perseverantibus in judicio in sua plus petitione.

TITULUS XII.

DE CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS.

§. I.

Quid, & quotuplex sit possessio, & quomodo à proprietate differat. & qua sint commoda, seu privilegia possessionis?

Possessio communiter definitur in genere, quòd sit rei corporalis apprehensio, seu detentio, animi, corporis, & juris adminiculo. Dicitur primò apprehensio, seu detentio, verè scilicet manibus apprehendendo rem, pedibus insistendo, fundando, vel fictâ, juris scilicet fictione, juxta quæ jura visione nonnunquam in certis circumstantiis, aut signi alicujus apprehensione, &c. res aliqua possideri inchoatur, & dicitur. Dicitur secundò, rei

corporalis; incorporalium enim rerum, uti sunt jura, propriè juxta Iuristas non est possessio, sed tantùm quasi possessio. Dicitur tertio, corporis & animi adminiculo scilicet, licet enim ad continentendam nonnunquam possessionem non requiratur corporalis detentio, ad acquirendam tamen, & inchoandam possessionem corporis & animi adminiculum requiritur, & alterum sine altero non sufficit. Dicitur quartò, juris adminiculo: non quòd omnis possessio justa sit, sed quòd jus tali possessioni non resistat positivè, sicuti resistit, quò minus Laici et spirituales possideant.

Dividitur autem possessio positivè in Civilem & naturalem, hæc corporalis